



I. N. J. A.

§. 1.

**A**dmonet nos Tempus, quo acerbissimam Passionem & Mortem Salvatoris nostri in Ecclesia nunc lugemus, ut *Thema*, quod vocant, *de Tempore* loco Disputationis ordinariæ in Cathedrâ Academicâ tractemus, quo suavis ubique Ecclesiæ & Academiæ sit concentus. Et quia superiori anno peculiari dissertatione in Subjectum & Scopum totius Capitis LIII. Jesaiæ inquisivimus, ac prolixè contra recentiores Judæos & Judaizantes quosdam Christianos evicimus, *Unicum illius Capitis Scopum esse nostrum Messiam eumque pro genere humano patientem & morientem*; placet nunc speciatim ex dicti Capitis Jesaiani commate IX. *Sepulturam Messie, & admirandam providamque Dei curam circa eandem*, cum is ab omnibus hominibus al. derelictus esset, devotâ mente considerare. Quod ut feliciter cedat, Deus ipse aperiat oculos mentis nostræ, ut Mirabilia ejus in verbo ipsius videamus, Amen.

§. 2. Quandoquidem autem hic locus Cl. Noldio Concord. Partic. sp. 894. *maximè arduus & Crux interpretum* audit, & *vexatissimus est, ut certent hic fere ingenia*, juxta Seb. Schmid. ad h. l. atque Concionatores hoc tempore communiter mirè se torquent in eo explicando: non omninò frustra laborabimus, si in hoc

A 2

tam